

nobilis antiquitate cognita: Quā de causa etiam Franciscanorum ritu corpus laqueo constringere tenebantur. Tertii Ordinis Mancipiorum Virtutis, *der Orden der Tugend Selavinnen* cognominati, Eleonora Imperatrix Romana, Ferdinandi III. Imperatoris Conjux, Dux & Autor fuit. Signum ordinis sol erat aureus & laurea cinctus hanc tenens Epigraphen: SOLA UBIQUE TRIUMPHAT: illudque aureo torqui appensum in sinistro gerebant brachio; Se totas ceterum virtutum studio atque affectuum imprimis moderationi dicantes. Eidem Imperatrici natales suos debet Ordo Heroinarum Cruciferarum, *der Orden der Kreuzträgerinnen* A. 1668. post deflagrationem Castelli Novi institutus. Quum enim in isto incendio Crux aurea, cui frustulum crucis S. inclusum, illæsa servata fuerat: in memoriam hujus, ut tradunt, miraculi memoratam Imperatricem Eleonoram Equestrem ex Feminis illustrioribus Ordinem constituit, hac inter reliquas lege, ut suspensam ferrent in sinistra mamma, nigræ adstrictam ligaturæ, crucem quadrangularem, in cuius angulis quatuor stellæ relucet. Mediam crucem duæ fulvei coloris lineæ, in crucis figuram ductæ, distinguunt quatuor circumcirca aquilis adjunctis. Totum vero signum verba circumeunt: SALUS & GLORIA. Quanquam vero ultimus hic ordo ad cultum Heroinarum proprie non pertineat: tres priores tamen indubia & præclara virtutis Heroicæ documenta esse nullus inficiabitur.

§. XIX. Animus erat, cultum Heroicum ex earundem in consortia Doctorum admissione Piscopiæ in Societates literarias *Intronatorum* Sienis, *Recuperatorum* Patavii, *Infocundorum* Romæ, *Dodonæorum* & *Pacificorum* Venetiis, Scuderia in Academiam *Recuperatorum* Patavinam receptæ, Julianæ Morellæ, Capuccinorum habitu indutæ, in cathedra Philosophica publice *disputantis*, Gabrielis Carolis Patinæ in honorem Ludovici XIV. Patavii Panegyricum publicè *dicentis* & Sororis suæ Carolæ Catharinæ Patinæ *orationem Panegyricam* de liberata A. 1683. Vienna Invictissimo LEOPOLDO dicatam *recitantis* & quæ plura apud Autores dantur, exemplis illustrare, aliaque id genus addere. Sed cum præter spem differendi materia nobis accreverit, temporis atque limitum, quos destinavimus, angustiis circumscripti heic abrumpere atque præstitum nobis Summi Numinis auxilium humillima animi gratitudine venerari jubemur.

Coll. diss. A. 57, misc. 36